MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-22

AUTHOR:

ZIMMERMANN, DANIEL

TITLE:

QUAE RATIO PHILO-
SOPHIAE STOICAE...

PLACE:

ERLANGEN

DATE:

[1858]

Master Negative #

91-80313-22

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Zimmermann, Daniel.

... Quae ratio philosophiae Stoicae sit cum religione Romana von Daniel Zimmermann... Erlangen, Junge, [1858]

23 p. 25½ cm.


Jahresbericht von der Königlichen studienanstalt zu Erlangen in Mittelfranken.

Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-27-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202





Centimeter



Inches








SIGILLVM COLLEGII COLVMBIAE NOVI EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

no. 1

Jahresbericht

von der

Königlichen Studienanstalt

zu

Erlangen in Mittelfranken

bekannt gemacht

bei der öffentlichen Preisvertheilung

den 6. August 1858.

Vorausgeschickt ist eine Abhandlung:

Quae ratio philosophiae Stoicae sit cum religione Romana

von

Daniel Zimmermann.
Königl. Professor.



Erlangen,
Druck der Universitäts-Buchdruckerei von Junge u. Sohn.

58

Romani, perpaucis eorum exceptis, in populi sui flore, in quo cives Romani cum civibus Romanis aequo et pari jure vivere atque civitatis incolumitati suas quisque rationes postponere conservandoque et dilatando populi Romani in alios populos imperio se quisque fortunasque suas devovere et condonare solebant, itaque in eo fere temporis spatio, in quo bella Punica gerebantur, quum ab omnibus Graecorum artibus tum maxime ab eorum philosophia abhorruerunt et alieni fuerunt. Id, ut minus gravia omittantur, his duobus exemplis satis confirmari videtur, quorum alterum petitum est a senatu Romano, magistratu illo, qui Romanorum mentis et animi et consilii et sententiae interpres judicandus est, alterum a morum Romanorum tenacissimo illo M. Porcio Catone. Et senatus quidem Romanus extremo illo temporis spatio et philosophos et rhetores Graecos, qui adolescentes Romanos institutione incitassent, ut suis se traderent literarum studiis, ex urbe ejicere decrevit: M. Porcius Cato haud ita multo post, quum Carneades Academicus et Diogenes Stoicus et Critolaus Peripateticus, ab Atheniensibus Romam legati ad senatum missi, praeterquam quod rem mandatam apud senatum gerebant, magno conventu hominum de rebus ad philosophiam spectantibus disputarent, qua re qui eos audiebant adolescentes Romani ad philosophiae studia incendebantur, ista studia populi Romani ingenio moribusque esse contraria ratus, ut isti philosophi propediem ex urbe proficiscerentur atque ex ea profecti adolescentes Romanos non amplius corrumperent, causam Atheniensium a senatu propere expediendam studiose maturavit. Etiam tempore, illud temporis spatium proxime sequente, quo, praecipue quum, Graecia aliisque terris, quas Graeci incolebant, Romanorum imperio subjectis, majus Romanis cum Graecis commercium esset, Graecorum artes a multis Romanis assumtae erant, longe plurimi Romanorum quum ab omnibus Graecorum artibus tum maxime ab eorum philosophia abhorrere et alieni esse nondum desierunt. Etenim Cicero, cujus aetas incidit in hoc tempus, a Graecorum artibus alieno populi animo occurrendum existimans, se de suis literarum Graecarum imprimis philosophiae studiis identidem excusat et, de suae aetatis civibus dicens: „Sunt“ inquit[1]) „multi, qui omnino Graecas non ament literas, plures, qui philosophiam: reliqui etiamsi haec non improbent, earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putant.“

Attamen jam ante Ciceronis aetatem apud Romanos non inferiorum quidem ordinum, qui apud eos quoque a ratione et doctrina perpetuo alieni manserunt, sed superiorum fuerunt nonnulli, qui unam alteramve tunc in Graecia vigentium philosophiarum aut sequebantur aut saltem cognoverant. Ante enim illam aetatem vixerunt P. Cornelius Scipio minor ejusque amicus C. Laelius et duo juris consultissimi viri Q. Aelius Tubero et Q. Mucius Scaevola, qui omnes Panaetii Stoici appellantur discipuli[2]), et eodem fere tem-

1) Acad. Quaest. II, 2, 5. Cf. in actis eruditorum, quae inscribuntur: Zeitschrift für d. Alterthumsw. VII, 2. N. 13. „Bemerkungen über das Verhalten der Römer, namentlich des Cicero u. Horatius, der griechischen Bildung gegenüber v. Funkhänel.“ — 2) Cic. de Fin. IV, 9, 23. de Orat. I. 17, 74 sq.

pore C. Amafinium editis libris, quibus nulla arte adhibita de rebus ante oculos positis vulgari sermone Epicuri sententiam sequens disputabat, multitudinem commovisse commotamque ad eandem potissimum disciplinam adduxisse Cicero memoriae prodidit [3]). Ipsa autem Ciceronis aetate multi fuerunt Romani, qui Epicuri philosophiam non modo profitebantur, ut T. Pomponius Atticus [4]) et C. Vellejus ille, ad quem tunc Epicureos primas e Romanis detulisse dicit Cicero [5]), sed etiam nonnulli, qui Epicuri quum totam philosophiam tum praecipue physicam literis persequebantur, ut T. Lucretius libro qui inscribitur: de rerum natura [6]). Multo plures iique in quovis propriorum Romanis studiorum genere ante alios excellentes Romani illa aetate fuerunt, qui philosophiam Stoicam sequebantur, quorum alteri praeter philosophiam Stoicam Academicorum rationem philosophandi ita probabant, ut de cognoscendis quidem rebus sciri nihil verum, verisimilia tantum videri posse sibi statuendum esse putarent [7]), alteri soli et toti philosophiae Stoicae assentiebantur. Stoicam enim philosophiam vel solam et totam vel praeter illam Academicorum rationem philosophandi quo modo diximus tunc sequebantur Romani non modo doctrina atque eruditione ornati, ut vir Romanorum eruditissimus M. Ter. Varro [8]), imprimis magna juris intelligentia praediti viri, ut Ser. Sulpicius Rufus, omnium et aequalium et eorum, qui ante eum fuerunt, in jure civili princeps [9]), sed etiam non minus in rebus atque usu, quam in literarum studiis versati viri, ut L. Lucullus, qui non solum magno studio quum omni generi literarum tum philosophiae deditus erat, sed etiam consulatum bene gessit et bellum contra Mithridatem egregie administravit [10]), liberae reipublicae amantissimus et incredibili constantia praeditus ille M. Porcius Cato Uticensis, qui gravissimus orator et probabilis belli dux neque reipublicae administrandae imperitus erat [11]), unus ille ultimorum, quos vocant, Romanorum, M. Junius Brutus, qui in orationibus quidem fama sua minor erat, sed ne Graecis quidem cedebat in philosophia, et in gerendis magistratibus ac fungendis imperiis civibus probabatur [12]), clarus ille reipublicae defensor M. Tullius Cicero, omnium Romanorum maximus orator idemque ut omni doctrina perquam eruditus ita in rerum publicarum varietate versatus vir [13]). Etiam a Ciceronis aetate usque ad philosophiae Stoicae interitum procedentibus temporibus, quanquam, superbe in cives dominantibus nonnullis horum temporum imperatoribus, ut Nerone [14]), philosophiam Stoicam sequi nonnunquam erat invidiae vel etiam capitis periculum afferebat, complures Romani atque in iis quoque gravissimi viri fuerunt, qui, ut Musonius Rufus equestris ordinis, sua aetate clarus quidam sapientiae doctor [15]), T. Annaeus Cornutus, qui et Lucanum et Persium Stoicorum decretis praeceptisque imbuit [16]), praeceptor ille Neronis L. Annaeus Seneca [17]), Imperator M. Aurelius Antoninus Philosophus [18]), etsi posthabita Stoicorum logica et phy-

---

3) Tusc. IV, 3, 6 sq. — 4) Cic. de Fin. V, 1, 3. — 5) de Nat. D. I, 6, 15. — 6) V. Histor. philosophiae Graeco Romanae e fontium locis context. Ed. II. p. L. Preller. §. 454 sq., cujus libri, quum is locos maxime probantes diligenter collectos et dispositos atque egregiis notis auctos habeat, testimonió, omissa ipsorum dictorum probantium confirmatione, hoc loco et, quoad fieri potest, inferioribus quoque locis uti propter angustos huic commentatiunculae constitutos fines concessum videtur. — 7) Cic. Tusc. V, 11, 33. Acad. II, 36, 116. Aug. de Civ. D. VII, 17. Cf. Gesch. der Philosophie v. H. Ritter, Bd. 4, S. 8 sq. — 8) Prelleri Lib. l. §. 452, not. g. — 9) Cf. librum qui inscribitur: Curs der Institut. v. F. G. Puchta. Vierte Aufl. §. 102, S. 481. §. 97, S. 438. — 10) Cic. Acad. II, 1 sq. — 11) Prelleri Lib. l. §. 468, not. c. — 12) Ibid. not. b. — 13) Ibid. 458 not. et 468 not. — 14) Tacit. Annal XIV, 57 sq. — 15) Prelleri Lib. l. §. 477. — 16) Annaeus Cornutus de Nat. Deor. rec. F. Ossannus p. 44 sqq. — 17) Prelleri Lib. l. §. 474. — 18) Ibid. §. 488.

sica, tamen morum doctrinam Stoicam amplectebantur vel saltem pleraque de moribus placita Stoicorum aemulabantur et profitebantur. Aliorum philosophorum atque Epicureorum, Stoicorum Academicorumque disciplinas Romanorum aut pauci sequuti sunt aut, si sequebantur plures, eas vel non totas vel ea tantum ex parte probaverunt, e qua illae ab Epicureorum vel Stoicorum vel Academicorum disciplinis haud multum absunt. Solus P. Nigidius Figulus haud dubie Pythagoreus [19]), soli M. Pupius Piso atque M. Crassus haud dubie Peripatetici [20]) fuisse traduntur. Cicero in aliquot tantum doctrinae morum quaestionibus imprimis in constituenda ratione, quam virtus cum externarum rerum appetitione habere ei videbatur, ad Peripateticos se inclinavit [21]), et Q. Sextius cum discipulis in paucis tantum Pythagoram, Stoicos posterioris temporis in summis hic Sextius cum suis et Cynici Romani [22]) videntur esse secuti.

Jam vero quaecunque philosophia apud aliquem populum vel aliquo tempore longe lateque fluat, huic cum ceteris ejus populi, apud quem, vel ejus temporis, quo longe lateque fluit, propriis studiis esse quandam rationem et quaecunque studia alicujus populi vel temporis propria sint, haec illius populi vel temporis religione contineri inter omnes harum rerum intelligentes satis constat.

Quaenam igitur ratio ei philosophiae, quae apud Romanos longe lateque fluxit vel, ut accuratius dicam, quae inter Romanos cujusvis populo Romano propriorum studiorum generis atque etiam inter illorum tales, qui super ceteros in suo studiorum genere excelluerint, omnium philosophiarum longissime latissimeque diffusa fuit ac per longissimum tempus fluxit et manavit, quaenam ratio, inquam, illi philosophiae, i. e. philosophiae Stoicae, cum religione Romana sit, quaerere ad recte judicandam hanc rationem necessarium et, si ad accuratius cognoscenda alia, praecipue nonnulla puto, quae ad religionem R. pertinent, leve sit, tamen non inutile mihi videtur existimandum.

Atqui illa quaestio, quod ego sciam, nondum ita est soluta, ut, qui eam solvere conati sunt, copia rerum ad illam persolvendam aptarum satis usi sint, ideoque id, de quo est illa quaestio, et totum et satis sit expositum [23]). Quare mihi, qui, ut hoc fiat, quantum in me est, nonnihil adjuvare velim, concessum videtur hac commentatiuncula, quoad intra fines ei constitutos facere possim, de ratione, quae philosophiae Stoicae est cum religione Romana, instituere quaestionem quaestionisque ab his facere initium.

Natura rationis, quae philosophiae St. est cum religione R., ita fert, ut et religio R. et philosophia St. ea tantum ex parte exponantur, ex qua haec ratio inter eas intercedit, sive ex qua eae hujus rationis membra sunt: membrorum autem, quippe quae, quanquam sunt conglutinata inter se, tamen eadem dissoluta sint, membrorum, inquam, rationis

---

19) Ibid. §, 472 not. — 20) de Fin. IV, 3. ad Att. XIII, 19. Plut. Vit. Crass. 3. — 21) Prelleri Lib. l. §. 464 cum not. — 22) Ibid. §. 470. §. 472. not. §. 473. not. — 23) Et in iis Ciceronis libris, qui de natura deorum, et in iis, qui de divinatione inscribuntur, de plerisque quidem illius rationis partibus disputatur, sed id, in quo exponendo horum librorum disputatio versatur, non est ipsa et tota illa ratio. In nonnullis historiis philosophiae, quas vocant, agitur quidem de ratione, quam philosophia Stoicorum cum popularium religione habet, sed quoniam ejus generis libris in hac re nihil aliud propositum est, quam quod iis in hac re peragitur, in earum aliis, ut in Prelleri Historia Philosophiae Graeco Romanae illa ratio non tam exponitur quam leviter tangitur, in aliis, ut in Zelleri libro, qui inscribitur: Die Philosophie der Griechen et non tota et non ita explicatur, ut de ratione, quae inter philosophiam Stoicam et inter religionem Romanam, a religione Graeca separatam, intercedit, singillatim disputetur.

natura ita fert, ut religio R. et philosophia St. tum conglutinatarum inter se tum dissolutarum rerum in modum in hac commentatiuncula tractentur.

In tali illius rationis expositione, quum religio R. et philosophia St., antequam inter se conjunctae sunt, separatae vel diversae inter se fuerint, de earum utraque ab utraque diversa prius quam de iis inter se consentientibus videtur disputandum, et quum, antequam philosophia St. inter Romanos diffusa est, exstiterit apud eos religio, prius religionem R. quam philosophiam St. exponendam puto.

A religione igitur R. eum in modum, quem supra diximus, exponendi faciamus initium!

Religio R. sive populi R. a civitate R. vel, ut accuratius dicam, a civitatis R. principibus populi R. saluti instituta et custodita et procedente tempore aucta in levioribusque rebus mutata, in majoribus perpetuo integra conservata est religio, cujus rationem utique colere cujusque fuit civis R.[24]).

Neque vero cum religione R., quippe quae populi R. sit religio, singulorum Romanorum de diis deorumque cultu vel opiniones vel sententiae hisque vel opinionibus vel sententiis incitata studia sunt confundenda[25]). Hanc ob rem, praesertim quum civitatis R., cujus erat illa religio, quid singuli Romani de diis deorumque cultu vel opinarentur vel sentirent vel agerent, non interfuerit, neque ei haec curae fuerint, nisi quid inde detrimenti capiebat vel captura erat res publica[26]), in exponenda religione R. singulorum Romanorum de diis deorumque cultu vel opiniones vel sententiae hisque opinionibus vel sententiis incitata studia, etiamsi ea persequi possimus, non persequenda videntur, atque iis omissis religionem R. ita exponam, ut in expositione illi voci Romanorum religionis civilis vis subjiciatur.

Dii igitur, in quorum cultu civili religio R. quo tempore inter Romanos philosophia St. coepit diffundi versabatur, non jam soli fuerunt dii R., quos diis peregrinis Livius opponit[27]) et deos Romanorum proprios patres ecclesiastici vocant, sed etiam, propagatis imperii R. finibus auctoque Romanorum commercio cum quibusdam eorum imperio subjectis populis, qui eos artium studiis superabant, imprimis cum Etruscis et Graecis, ab his populis imprimis ab Etruscis et Graecis recepti, quanquam eorum plurimi cum illis diis R. antea confusi erant.

Et ipse deorum cultus civilis illo tempore non jam idem, qui ante auctum commercium Romanorum cum illis populis fuerat, non jam tam simplex ac tenuis, sed praecipue artificiis Etruscis et Graecis magnificus redditus fuit et, additis deorum ab exteris populis receptorum sacris, multiplicatus[28]).

---

24) Cf. Heffteri librum de religione Graeca et Romana p. 436 sqq. et Krahneri commentationem, quae inscribitur: Grundlinien zur Geschichte des Verfalls der röm. Staatsreligion p. 9 sqq. — 25) Augustinus in libro de Civitate Dei IV, 27 „Relatum est“, inquit, „in literis doctissimum pontificem Scaevolam disputasse tria genera tradita deorum, unum a poëtis, alterum a philosophis, tertium a principibus civitatis.“ Idem in eodem libro VI, 5: „tria genera theologiae dicit [Varro] esse, id est rationis, qua de diis explicatur, eorumque unum μυθικὸν appellant, alterum φυσικὸν, tertium civile. Tertium genus est, inquit [Varro], quod in urbibus cives, maxime sacerdotes nosse atque administrare debent, in quo est, quos deos publice colere et quae sacra et sacrificia facere quemque par sit.“ Atqui ratione, qua de diis explicatur, deorum cultus totaque religio continetur. Ergo secundum Varronem, qualia theologiae, talia religionis quoque tria sunt genera. — 26) V. Krahneri Comm. c. p. 12. Cf. Cic. de Divin. II, 72, 148 et de Nat. Deor. III, 2, 5. — 27) IV, 30. V, 52. — 28) Heffteri Lib. c. p. 451 sqq. praecipue p. 458 sqq. —

Itaque dii, qui a civitate R. tunc colebantur, partim fuerunt ii, quos M. Terentius Varro praecipuos atque selectos appellat[29]), et „quibus“, ut ait idem[30]): „aedes dedicaverunt eosque pluribus signis ornatos notaverunt [cives Romani]: Janus, Jupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta[31]), iisque propinqui, quorum alteros, ut Honorem, Fidem, Volupiam, Victoriam, virtutum aut vitiorum vel quorundam majorum aut commodorum aut incommodorum effectores ac rectores divinos alteros, ut Herculem et Romulum sive Quirinum beneficiis excellentes ideoque inter deos relatos homines crediderunt, et quibus vel quorum majori quidem parti et ipsis aedes dedicaverunt signaque ornatui posuerunt cives Romani[32]), partim prope innumerabiles ii, qui dubito an auctore Varrone ab Augustino minuti vocati sunt et, quanquam in civitate R. sacella arasque suas habuisse videntur, tamen praecipue comprecationibus culti omnesque soli pontificum collegio noti esse quiverunt[33]).

Universos deos tunc crediderunt cives R. esse aeternos sive immortales vel sempiternos et tanta mentis animique praestantia rerumque tam potentes, ut eas regerent ac moderarentur, ac tales, ut quum universos tum singulos cives R., si ab iis ipsi rite pieque colerentur et civitates R. leges atque instituta, quippe quae de deorum sententia sancita essent, servarentur, tueri ac beneficiis afficere eorumque commodis et utilitati, praecipue varias suae voluntatis significationes, ut prodigia, oracula, facientes consulere, sin a quo ipsi vel ipsorum voluntatis significationes vel civitatis R. leges negligerentur, eum ulcisci et persequi poenisque afficere solerent.

Quales essent seque exhiberent universi dii sive numina divina, tale fere et ipsum esse seque exhibere per deos quae efficeret efficiens deorum numen sive fatum vel fortunam[34]).

E singulis autem diis Jovem, quippe quem omnium rerum praepotentem appellarent[35]) et „penes quem“, ut ait Varro[36]), „summa“ esse opinarentur, prope omnium rerum summum esse dominum et moderatorem ac rectorem, prope universum numen divinum vel unum Deum[37]); alios in complures tantum res dominari easque gubernare, ut Neptunum, quem aquarum, praecique maris, Vulcanum, quem ignium potentem opinarentur, horum multos aut totius populi R. ejusque rerum aut hominum privatorum eorumque rerum aut

---

29) apud Augustinum in libro de Cic. D. VI, 3. — 30) Ibid. VII, 17. — 31) Ibid. VII, 2. — 32) Cic. de Nat. Deor. II, 23, 60 sqq. — 33) V. Ambroschii librum, qui inscribitur: Studien und Andeutungen im Gebiete des altrömischen Bodens und Cultus p. 63 n. 109 et ejusdem commentationem, quae inscribitur: Ueber die Religionsbücher der Römer p. 10 sqq. 24 sq. 58 sq. — 34) Deos deorumque numen creditos esse aeternos sive immortales vel sempiternos ex eo apparet, quod haec vocabula omnium fere, quaecunque tunc ab iis, qui religionis R. rationem colebant, divina sunt habita, nominibus sexcenties apposita apud auctores inveniuntur, et alicujus numinis divini aeternitati eandem vim subjiciendam esse, quae ejus immortalitati vel sempiternitati intelligitur ex eo sententiarum genere, cujus sunt Cic. de Nat. Deor. II, 24, 62 et I, 17, 44 sq. Ceteram quoque deorum deorumque numinis naturam ab illis talem esse habitam, qualem supra diximus, auctorum dictis, ut Cic. de Leg. II, 7. 15., Somn. Scip. 177, Valer. Max. I, 1 de Relig., Hor. Od. III, 6, 1 sqq., aliisque antiquitatis R. monumentis confirmare haud scio an longum sit et, quum vix quisquam quae de hac re diximus in dubium vocare videatur, supervacaneum. Certe eadem fere, quae supra de diis deorumque numine diximus, de iis sentit Livius, gravis hujus rerum generis auctor, cui „vetustas res scribenti“ ut ait ipse, „antiquus fit animus.“ Livii autem de diis deorumque numine sententiam egregie exposuit Weissenbornius in sui Livii proemio p. 15 sqq. Quare si quis legentium ea, quae supra diximus, nostris dictis literarum fidem additam velit, eum ad proëmium illud delegamus. — 35) Cic. de Div. II, 18, 42. — 36) Apud August. in libro de Civ. D. VII, 9. — 37) Heffteri L. l. p. 488. —

universis aut singulis conditionibus, ut condendo, conservando augendoque imperio R. [38]). Jovem Capitolinum cum Junone Regina et urbis custode Minerva, bene conficiendis contra hostes populi R. expeditionibus Martem Gradivum [39]), populo R. ab hostibus reportandis victoriis Victoriam [40]), Genios singulorum hominum vitae [41]), Saturnum agriculturae [42]), deorum minutorum eos, quos enumerans a Jano Consivio exorsus ad Naeniam seriem perducit Varro, singulis vitae humanae [43]), eos, quos agrestes appellant, singulis agriculturae partibus praeesse [44]) et illas conditiones illarumque conditionum partes efficere et dissolvere et mutare. Itaque singulos deos, qualibus et quantis viribus opus esset, ut quae eorum esset efficere efficerent, talibus et tantis esse viribus talibusque naturis.

Hos omnes illo tempore deos habitos illius temporis cives R., quia hoc a majoribus acceperant, crediderunt esse dignos, qui ab ipsis colerentur, et eo quidem modo, qui a majoribus traditus esset, atque idem eademque ex causa, qui posterioribus temporibus religionis R. rationem colebant, de diis crediderunt [45a]).

Cultus autem deorum apud Romanos plurimis constabat rebus, praecipue actionibus solemnibus, a civitate institutis vel receptis per ejusque magistratus imprimis per pontifices custoditis, quas sacris temporibus et locis a consecratis hominibus vel ad eorum praecepta deorum causa, qui religionis R. rationem sequebantur, suscipiendas credebant. Atque harum rerum sequendis aliis, accipiendis ominibus et agendis auguriis, auspiciis haruspiciisque, i. e. observando, quo modo visae quaedam res naturales, imprimis quo modo quaedam aves in volando vel canendo vel vescendo, fulgura hostiarumque exta se haberent, utrum dii ipsis incepta persecuturis propitii an irati essent futuri, conjici posse sibi persuasum habebant, et faciendis aliis, praecipue precationibus, supplicationibus, votis, sacrificiis, ludis multisque aliis caerimoniis a diis impetrari, ut ii gerendis rebus publicis vel privatis volentes propitiique adessent, aut, si deos, praecipue factis prodigiis vel ostentis vel monstris vel portentis, i. e. quibusdam rebus mirabilibus vel terribilibus, quibus excitatam deorum iram impendentesque poenas significari opinabantur, sibi iratos credebant, eos placari certum habebant [45b]).

Sed tamen civitas R., aucto Romanorum commercio cum exteris populis, praecipue cum Graecis magisque diffusis inter Romanos horum populorum, praecipue Graecorum artibus, haud paucos exterorum populorum, praecipue Graecorum deos deorumque cultus eosque, si illi cum exteris diis deorumque cultibus, ut Graecorum Musae cum Romanorum Camoenis, aliqua ex parte consentiebant, confusos recepit et, si res rerumque conditiones,

---

38) Ibid. p. 485. — 39) Ibid p. 536. — 40) Ibid. p. 564. — 41) Ibid. p. 510 sq. — 42) Ibid. p. 532 sq. — 43) Augustin. de Civ. D. VI, 9 cfr. Ambrosch, Religionsb. d. R. p 11 sqq. — 44) Serv. ad Georg. I, 21 cfr. Ambroschii Lib. c. p. 20. — 45a) Cic. de Nat. D. III, 2, 3 de Div. II, 72, 148. Cf. Heffteri Lib. l. p. 436 sq. et Hartungii librum, qui inscribitur: die Religion der Römer, I, p. 205 sqq. — 45b) Cf. quae in eo libro, qui inscribitur: Pauly's Realencyklopädie der classischen Alterthumsw. s. v. sacrorum p. 644 sqq. de deorum R. cultu disseruntur. — Quoniam deorum cultus R., ea religionis pars, quae ad agendi vim rationemque refertur, sua natura ex ea religionis R. parte, quae ad vim cognoscendi rationemque refertur, etsi deorum cultus praecipuus habendus est fons, e quo nisi hauserimus, hanc religionis R. partem non perspiciemus planeque cognoscemus, atque etiam summa rerum divinarum ab iis habebatur, qui religionis R. rationem sequebantur, in gravioribus quidem pendet, de illo cultu velut de appendice, i. e. brevius, eodemque modo de doctrina morum St., ejus philosophiae St. partis, quae et ipsa ad agendi vim rationemque refertur, quippe cui non dissimilis ratio cum logica et physica St. intercedat, in hac commentatiuncula videtur exponendum. —

usque ad id tempus minus cognitas, ut pacem ante Imperatorem Augustum, satis cognoverat neque antiquorum deorum ullius ditioni et gubernationi aliqua ratione attribuere poterat, antiquis diis deorumque cultibus novas addidit, qui ad illas res rerumque conditiones pertinebant. Vere peregrina sacra civitas R. ferebat tantum atque etiam posteriore aetate extra tantum urbis murum eique proxima milia passuum [46]).

Ceterum religio R. et illo priore et hoc posteriore tempore ita comparata fuit, ut qui ejus rationem colebant, crederent ad deorum arbitrium ac nutum et in omittendis et in faciendis rebus totos se accommodare oportere [47]). Sed quanquam illud credebant, tamen non minus credebant, magistratuum vel hominum privatorum arbitrii esse omnina aut accipere aut non accipere [48]), et ingenii interpretantium, quae dii omnibus, auspiciis, prodigiis aliisque hujus generis rebus significarent, judicare [49]), ideoque hominum esse in gerendis rebus privatis et publicis totos ex se aptos pendere.

Sed tantum abfuit, ut religio R. solis in cognoscendis et colendis diis versaretur, ut ipsa, quippe quae non modo a civitate, sed etiam civitatis populique R. saluti instituta esset, ad justitiam ceterasque boni civis virique virtutes pertineret [50]).

Ac de religione quidem R. satis dictum videtur, deinceps ad philosophiam St. * transeamus. Quam et ipsam, quem in modum supra diximus, in eum his exponamus!

Stoicorum nonnulli ***κριτήριον,*** i. e. regulam, qua vera et falsa cognoscantur ac judicentur [51]), statuunt esse rectam rationem (***ὀρθὸν λόγον***), plerique Stoici, visionem comprehensibilem, quam vocant, (***φαντασίαν καταληπτικὴν***) vel, quod eodem spectat, tale visum, quod, ut sigillum annuli in cera impressum ex annulo in cera, sic ex eo, unde sit, et ei congruenter in animo cognoscendi facultate, quam vocant philosophi recentiores, praedito impressum sit, quale esse non possit ex eo, unde non sit, itaque tam perspicuum sit, ut cogitatione comprehendi possit et verum non haberi non possit [52]).

Stoici igitur statuunt, quae cum recta ratione congruant, ea esse vera vel, si ea accuratius definiunt, cum assensione cognoscentium conjunctas tales tum visiones, quae in universalium vel particularium notionum formam redactae sint, tum universales vel particulares notiones, quae e visionibus effectae in iisque sint positae [53]). Quare quanquam ***κοιναῖς ἐννοίαις*** vel ***προλήψεσιν,*** i. e. insitis sive innatis vel anteceptis, quasi in animo consignatis rerum notionibus aliquantum ponderis dant omnemque non modo doctrinam, sed etiam vitam naturae convenire debere volunt, veras tamen eas tantum decernunt cognitiones, quae a visionibus ductae sint et effectae [54]). Sed quum magis in iis versentur,

---

46) Cf. Pauly's Realencykl. l. c. p. 440 sqq. Heffteri Lib. l. p. 451 sqq. Ambrosch, Stud. u. Andeut. p. 46. — 47) Val. Max. I, 8 sq. — 48) Cic. de Div. I, 46, 103, II, 40, 82. Liv. 1, 7, 11. — 49) Cic. de Div. II, 25 sq. — 50) Cf. Krahneri Comm. c. p. 13. Heffteri Lib. l. p. 440 sq. — * Sub illa voce hoc loco scilicet ea subjicitur sententia, quae vulgo subjicitur, ut philosophia St. in hac commentatiuncula ea appelletur philosophia, quae qualis a Zenone ceterisque principibus Stoicorum Graecorum est explicata Romanis est tradita, non ea, quam posteriores Stoicorum, ut Seneca, Rufus Musonius, M. Aurelius, illa praecipue eo immutata, quod e fontibus aliorum, etiam eorum, qui ab illis Stoicis dissentiebant, quantum quoque modo illis videbatur, hauserant haustumque cum illorum Stoicorum doctrina confuderant, professi sunt. — 51) Sext. Emp. ed. Fabricius Pyrrh. Hyp. I, 11, 21. — 52) Diogen. Laert. ed. Huebner VII, 54 et 46. Sext. Emp. adv. Math. VII, 242 sqq. imprimis 248. Cic. Acad. I, 11, 40 sqq. II, 6, 18 et 12, 38. Cf. Prelleri Lib. l. not. ad §. 388. — 53) Cf. Zeller, die Philosophie der Griechen III, p. 34 sqq. et 43 sq. — 54) Plut. (Paris. Ed. Didot.) Comm. Not. III, 1. Cf. Zelleri c. L., ubi III, p. 31 sqq. et accuratius et copiosius de hac re disputatur. —

quae ad agendi, quam in iis, quae ad cognoscendi vim rationemque referuntur, de his subtiliore quaestione non instituta ad commune judicium popularemque intelligentiam se accomodantes, aut quod efficiat aliquid, aut in quo efficiatur aliquid, sive quod re vera sit, corpus vel saltem corporis particeps esse non posse negant conanturque demonstrare animum et quidquid sit animi esse corpus vel saltem corporis non expers [55]).

His placitis congruenter fere Stoici decernunt naturam omnium, quae sunt, (οὐσίαν τῶν ὄντων ἁπάντων) esse materiam primam, quam vocant, (τὴν πρώτην ὕλην) [56]), quod accuratius sic exponunt, duo esse omnium, quae sunt, principia (ἀρχάς), alterum faciens, alterum patiens. Quod patiatur esse qualitatis expertem naturam (τὴν ἄποιον οὐσίαν) sive materiam, quod faciat rationem, quae in ea sit (τὸν ἐν αὐτῇ λόγον) eamque formet, sive Deum, quorum ex altero, e materia, et ab altero, a Deo, singulas res generari [57]).

Deum autem tum corpoream quandam naturam describunt, dicentes ipsum esse spiritum (πνεῦμα) per omnia pertinentem, vel aethera e summo coelo vel e sole undique circumfusum omnia animantem, vel ignem artificiosum (πῦρ τεχνικόν), ignis in animantium corporibus inclusi, qui ea conservat, alit, auget sensuque afficit, similem, vel alias ejus generis naturas [58]), tum a corporis concretione magis segregatum demonstrant, dicentes ipsum esse animum mentemque (νοῦν) vel rationem (λόγον) mundi, vel seminalem quandam rationem (λόγον σπερματικὸν) sive eam unam vim rationalem, quae quum universarum rerum semen tum, ut arboris semen multa germina comprehendat, ita illius seminis similia singularum rerum semina (λόγους σπερματικοὺς) in se contineat atque, ut arboris semen sua lege se explicet, ita sua ratione res quum universas tum singulas generet et formet formatasque resolvat, vel naturam (φύσιν), vel fatum (εἱμαρμένην) sive necessitatem (ἀνάγκην), vel communem omnium legem (τὸν νόμον τὸν κοινόν), vel providentiam (πρόνοιαν), vel alias ejus generis vires, vel Jovem [59]).

Sed etsi haec verbis quidem inter se discrepantia dicunt de Deo, tamen iidem tum illum spiritum ab aethere, aethera ab illo igne, tum a ratione seminali animum mentemque vel rationem mundi, tum hanc ceterasque illas a corporum concretione magis segregatas vires a providentia et Jove, tum Jovem a providentia, providentiam et Jovem ab illo spiritu, Deum a materia separari non posse statuunt [60]).

Itaque Deum docent, quum non solum ab ipso, sed etiam ex ipso, quippe qui a materia separari non possit, omnes res generentur, quas mundus quoque tempore complexu suo coërceat et contineat, re veritateque a mundo non differre, mundique nomine

---

55) Plut. Comm. Not. 30, 2. de Plac. Phil. IV, 20. Cic. Acad. I, 11, 39. Cf. Zelleri c. L. III p. 48 et 55. 51 sqq. — 56) Diog. Laert. VII, 150. Sext. Emp. adv. Math. IX, 512. Cf. Zelleri Lib. l. III, p. 69 sq. — 57) Diog. Laert. VII, 134. Sext. Emp. adv. Math. IX, 11. Stob. Ecl. rec. Gaisford, I, 5, 322. — 58) Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. III, 218. Plut. de Plac. Phil. I, 7, 17. Diog. Laert. VII, 138 sq. Cic. de Nat. Deor. I, 14 sq. II, 22. Quaest. acad. II, 41, 126. Cf. Zelleri L. l. III, p. 72. — 59) Diog. Laert. VII, 138 et 135. Stob. Ecl. I, 15, p. 178 et 17, p. 372 sq. Plut. de Stoic. Resp. 34, 5. Cic. de Nat. D. I, 14 sq. Plut. de Plac. Phil. I, 7, 17. 27, 3. 28, 3 sq. Comm. Not. 36, 5 Sext. Emp. adv. Math. IX, 101—104. Cf. Prelleri Lib. l. §. 408 et Zelleri Lib. III, p. 72 sq. et p. 84 sqq. — 60) Quum haec placita non tam ad persolvendam nostram quaestionem magno pondere sint quam idonea, quibus ad persolvendam nostram quaestionem gravium placitorum continuatio seriesque explicetur, sufficere mihi videtur de his placitis breviter dixisse atque, ut comprobem ea tradita esse vera, ad Zelleri Lib. c. provocare, in quo III p. 72 sqq. eadem pluribus egregie exponuntur et testimoniis confirmantur. De aliis quoque ejus generis placitis eadem ratio ineunda mihi videtur atque inibitur. —

appellant, quanquam Deum, quippe quem mundi omniumque rerum, quas mundus quoque tempore complexu suo coërceat et contineat, partem et eam partem dicant, quae principatum (τὸ ἡγεμονικὸν) in se habeat, et purissimum praestantissimaque ratione praeditum spiritum igneum describant, per omnes illas res pertinentem easque continentem, distinguunt ac discernunt a mundo [61]). Stoici igitur sive de Deo ita interpretantur, ut eum judicent esse illam rationem, quae sit in materia, quaeque ex materia res singulas generet, sive ita, ut eum dicant principalem mundi partem, igneum illum spiritum, qui per omnes res pertineat omnesque contineat, quum tamen Deus neque a materia sejunctus sit neque quidquam sine materia efficiat, Deum materiae terminis circumscriptum existimasse sunt putandi [62]). Nihilo minus perfectum Deum dicunt, quo tamen dicto, quum Deo non eam perfectionem et absolutionem, quam nos tribuimus, tribuisse, sed eum materiae terminis circumscriptum existimasse putandi sint, nihil aliud significare velle possunt, quam Deum ceteris rebus esse praestantiorem [63]).

Itaque Stoici decernunt Deum hominis quidem forma non indutum, sed omni corporis concretione non segregatum esse animantem sempiternum vel immortalem sive aeternum, (scilicet dum sub hac voce illarum sententiam subjiciunt), omnium praestantissimae mentis animique, vel rationis compotem omniumque sapientissimum, optimum, potentissimum maximeque beatum, universi mundi singularumque rerum, quas mundus cujusque temporis complexu suo complectatur, aedificatorem, conservatorem, rectorem [64]).

Deum autem dicunt, quippe qui sit seminalis illa ratio vel artificiosus ille ignis, quo omnis vita contineatur, ad generandas res singulas, quas mundus quoque tempore complectatur, ipsumque cujusque temporis mundum sua ratione progredi, deinceps — id quod Panaetius quidem et nonnulli Stoicorum posterioris aetatis principes, itaque ii ipsi, qui potissimum Romanis philosophiam St. tradiderunt [65]), vel negant vel saltem addubitant, — ad mundum cujusque temporis singulaque, e quibus mundus cujusque temporis constet, resolvenda in ipsum eadem ratione verti, atque ita, ut generationem quamque resolutio, resolutionem quamque generatio sequatur in infinitum [66]).

Namque initio artificioso illo igne, qui ad generandum quadam via progrediatur, generari quatuor rerum principia sive elementa, e quibus res singulares oriantur et in quae resolvantur, aquam, terram, aëra, ignem. Illum enim ignem primum verti in aëra, i. e. in aëris similem vaporem, deinde in humorem quendam, hunc autem inter se disjunctis iis, quae in eo conjuncta fuerint, parte ignea et parte aquosa, qua disjunctione principii facientis et patientis differentiam demum re veritateque existere, partim in hujus partis aquosae similia elementa, in aquam et in hujus crassiorem partem, in terram, partim in illius partis igneae similia, in aëra, quem vocant atmosphaericum, et in hujus tenuiorem partem, in ignem, mutari [67]).

E quibus quatuor principiis formante artificioso illo igne varie mixtis exoriri res singulares, i. e. eas res, quarum quaeque unum quoddam corpus efficiat, inanimas et eas, quae

---

61) Diog. Laert. VII, 139. 147. 88. Cic. de Nat. D. II, 11, 29 sq. l. 15, 39. Sext. Emp. adv. Math. IX, 102 sq. Zelleri Lib. l. III p. 77 sqq. — 62) Ibid. III, 74 sq. — 63) Diog. Laert. VII, 147. — 64) Ibid. VII, 134 et 147 et Aeg. Menagii observ. ad h. l. Cic. de Nat. D. II, 17 et 11, 29. — 65) V. quae supra dixi p. 3. — 66) Zelleri Lib. l. p. 79 sqq. — 67) Diog. Laert. VII, 156 et 142. Stob. Ecl. I, 17 p. 370. —

e terra gignuntur, sive plantas, et animalia tum rationis expertia tum ratione praedita, quibus Stoici praeter homines annumerant solem, lunam, reliqua sidera [68]).

Res autem inanimas contineri ac regi solo habitu (**ὑπὸ ἕξεως**), ut lapides et ligna, plantas natura (**ὑπὸ φύσεως**), i. e. eo habitu, quo se ipsae moveant, animalia anima (**ὑπὸ ψυχῆς**), i. e. natura visionis (**φαντασίας**) et appetitionis (**ὁρμῆς**) compote, atque horum ratione praedita anima rationali (**ὑπὸ ψυχῆς λογικῆς**) [69]).

Et rerum inanimarum habitum et plantarum naturam et animalium tum rationis expertium tum ratione praeditorum animam esse igneum spiritum, sed ratione praeditorum animalium animam et anima rationis expertium animalium et natura plantarum et rerum inanimarum habitu tenuiorem, neque tamen corporum concretione liberam mortique obnoxiam [70]).

Et rationis expertium et ratione praeditorum animalium cujusque animam compositam esse ex octo facultatibus, quas vocant philosophi recentiores, e quinque sensibus, visu, auditu, olfactu, gustu, tactu, et e facultate vocali, seminali atque principali (**ἐξ ἡγεμονικοῦ**), i. e. ea facultate, quae ceterarum facultatum obtineat principatum, et a qua ceterae tanquam a fonte emittantur et suis quaeque instrumentis, sicut flagella polypi disponantur. Atque animae humanae facultatem principalem esse rationem (**λόγον**), quam rationis (**λόγου**) mundi non partem tantum vel tanquam propaginem esse, sicut aliorum rationis expertium animalium, plantarum rerumque inanimarum partes principales, sed rationis mundi propinqua cognatione teneri [71]).

Itaque Stoici statuunt mundum esse qualitatis expertem materiam, a ratione, quae in ea sit, formatam, sive ab artificioso illo igne in rerum singularium formam redactam, vel, ut Posidonius ait, e diis et hominibus, i. e. ex animalibus ratione praeditis, iisque rebus, quae horum causa effectae sint, constans corpus, ut alii Stoici ajunt, et animatum et rationale animal, cujus omnium partium principale (**ἡγεμονικὸν**) purissimum liquidissimumque aethera Chrysippus, alii alia esse dicunt, quae sunt eadem atque artificiosus ille ignis [72]).

Jam Stoici decernunt omnes res, e quibus mundum cujusque temporis constare dicunt, si sub hac voce ea subjiciatur sententia, quam Stoici ipsi secundum proxime antecedentia subjiciunt, non ea, quam iidem subjiciunt dicentes mundum a Deo re veritateque non differre, illas igitur res decernunt et ortas esse et interituras.

Atque illas res et oriri et interire dicunt tali causarum ordine serieque, ut causarum aliae ex aliis aptae et aliis aliae nexae res ex se gignant, vel immutabili et fatali ordinis sempiterni continuatione (**αἰτίᾳ τῶν ὄντων εἱμαρμένῃ**), vel necessitate (**ἀνάγκῃ**) sive fato (**εἱμαρμένῃ**). Fatum autem nihil aliud quidem esse nisi igneum illum spiritum, per omnes res, quas mundus cujusque temporis complectatur, pertinentem easque omnes continentem artificiosumque illum ignem, atque quum idem ut immutabili necessitate, ita ratione et via

68) Diog. Laert. VII, 142. Stob. Ecl. I, 16. p. 312. Cf. Zelleri Lib. l. III, p. 79 sq. et 95 sq. et 98. — 69) Diog. Laert. VII, 139. Plut. de Virt. Mor. XII, in. Sext. Emp. adv. Math. IX, 81. Cf. Prelleri Lib. l. §. 415. — 70) Diog. Laert. VII, 156. Stob. Ecl. I, 52, p. 796. Plut. de Plac. Phil. IV, 3, 3. Prelleri Lib. l. §. 413 et 414 cum not. — 71) Diog. Laert. VII, 110 et 157 et 159. Plut. de Plac. Phil. IV, 4 et 21. Sext. Emp. adv. Math. IX, 102. Cleanth. Hymn. V, 4. Sext. Emp. adv. Math. VII, 93. Zelleri Lib. l. III, 103 sq. — 72) Diog. Laert. VII, 138 sq. et Menag. Observ. ad h. l., ubi praeter alia hoc quoque exponitur, animantia, quae ratione utantur, esse deos et homines. Plut. de Stoic. Rep. 41, 6. Cic. de Nat. Deor. II, 11, 29.

agat et utilitatum providum sit, rationem mundi providentiamque et, si ad vulgarem popularemque sensum respiciatur, Jovis decretum esse judicandum ac dicendum [73]).

Nam fato omnes res, quas mundus cujusque temporis complectatur, aliarum rerum causa esse generatas, inanima animalium et plantarum, plantas animalium et rationis expertium et ratione praeditorum, animalia rationis expertia animalium ratione praeditorum, haec autem communitatis et societatis suae causa, atque eodem illas res sic gubernari et regi, ut, quarum rerum causa res singulae sint generatae, iis sint usui, itaque singulis universisque illis rebus consuli et provideri. Solum mundum sua ipsius, non ullius suarum partium, ne hominum quidem causa, qui ad mundum contemplandum et imitandum orti sint, esse et, ut Panaetius aliique principes Stoici posterioris aetatis saltem verisimilius existimant, semper aut, ut reliqui Stoici putant, per quoddam temporis spatium permanere, suaque natura esse perfectum.

Nam rationem mundi vel providentiam, ut verbis utar, quae Cicero Balbum Stoicum dicentem facit, haec potissimum providere et in his maxime esse occupatam, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus [74]).

Ex hac autem mundi pulchritudine atque ornatu et ex eo, quod mundus ita constitutus sit, ut ipse permaneat nec ulla re egeat, et singularum rerum, e quibus ipse constet, aliae aliis sint usui, sequi ceteris naturis praestantiorem aliquam naturam tum esse, tum non solum universis, sed etiam singulis rebus, e quibus mundus constet, excellenti quadam ratione et prudentia praesidere ac providere [75a]).

Praeter illa Stoicorum de rebus divinis decreta, quae antecedentibus tradidimus, a proposito non alienum videtur nonnulla addere, quorum altera ad naturam Dei, altera ad divinationem pertinent.

Primum Stoici rationi in materia (*τῷ ἐν τῇ ὕλῃ λόγῳ*) quum pro diversitate faciendi sive actionis, qua illa vis, Stoicorum principium faciens, materiam afficere iis videtur, i. e. prout materiae vel rerum e materia factarum status est, qui illa vi effici ab iis putatur, tum praecipue pro diversitate materiae, Stoicorum principii patientis, quae ratione affici iis videtur, i. e. prout materia vel res sunt e materia factae, quarum status illa vi effici ab iis putatur, compluria et inter se diversa dant nomina et cognomina. Nam praeterquam quod ipsam iis nominibus appellant, de quibus supra jam exposuimus, ut spiritus, ignis artificiosi, rationis seminalis, omnium rerum animi mentisque vel rationis vel principalis partis (**ἡγεμονικοῦ**), fati, providentiae, eandem ***Διός***, ***Ζηνός***, ***Ἀθηνᾶς***, ***Ἥρας***, ***Ἡφαίστου***, ***Ποσειδῶνος***, ***Δήμητρος*** nominibus afficiunt aliisque vocabulis nominant, de quibus infra exponemus [75b]).

Atque illam vim quum pro diversitate materiae status, qui illa vi, tum praecipue pro diversitate materiae, cujus status illi vi effici iis videtur, in complures et inter se diversas vires particulares singularesque re veritateque diremptam putant et, quanquam harum virium viribus particularibus scilicet particularium, viribus singularibus singularium materiae

73) Diog. Laert. VII, 149. Plut. de Plac. Phil. I, 27, 3 de Stoic. Rep. I, 32, 5. Comm. Not. 34. Stob. Ecl. I, 6. p. 118 sq. p. 30. 12. 24. 38. Cf. Zelleri Lib. l. III, p. 82 sqq. — 74) Diog. Laert. VII, 138. Stob. Ecl. I, 22 p. 444. Cic. de Nat. D. II, 14, 37 et 62, 154. 65, 164. 22, 58. de Fin. III, 20, 67. Plut. de Stoic. Rep. 21, 3. Cf. Zelleri Lib. l. III, p. 87 sq. — 75a) Sext. Emp. adv. Math. IX, 88 et 101 sqq. Plut. Plac. Phil. I, 6, 2. Cic. de Nat. D. II, 5 et 11—14. Acad. II, 38, 120. — 75b) Plut. de Plac. Phil. I, 7, 17. —

statuum vel partium viribusque particularibus singularium virium, viribus singularibus singularium effectuum potentiam tribuunt, unamque illam omnium virium principem potentemque habent, tamen unamquamque virium particularium singulariumque non a solis ceteris viribus, sed etiam ab omnium virium potente illa vi una universalique liberam ac solutam existimant.

Hoc e Stoicorum placitis de ea ratione, quam quum inter alias res tum praecipue inter ignem vel aëra et inter cetera elementa statuunt, intelligi potest, longe maxime apertum et perspicuum fieri videtur ex eo, quod de anima humana decernunt, quam mundi mentis animique partem vel propaginem atque hujus mentis animique simillimam dicunt, animam humanam ex octo facultatibus, quas vocant philosophi recentiores, esse compositam, quinque sensibus, facultate vocali, seminali principalique, quae ceterarum principatum obtineat, et a qua ceterae tanquam a fonte emittantur et suis quaeque instrumentis sicut flagella polypi disponantur.

His sententiis magis aut minus convenienter Stoici, praesertim quum communem omnium opinionem, quod ea communis omnium rationis sive naturae sit judicium quoddam, veram existimasse videantur[76]), de diis explicandi ratione physica, quam vocant, usi non solam omnium virium particularium singulariumque atque materiae rerumque ex ea factarum potentem illam vim universalem deum vel Jovem dicunt, sed etiam vires particulares singularesque divini generis deosque, quanquam hos deos ab illo deo, illi aeternitatem, his ortum et interitum adjudicantes distinguunt, habendos et dicendos esse decernunt[77]). Nam solem et lunam et sidera, quorum tam variis cursibus admirabilis ordo incredibilisque constantia satis declaret, iis praestantissimam inesse rationem maximeque tenuem ac purum illum ignem, qui omnia conservet, alat, augeat, sustineat, et praeter haec corpora coelestia, quae maxime his corporibus efficiantur, annos et menses annorumque mutationes, in quibus praecipue omnium rerum terrestrium conservatio et salus posita sit[78]), deinde quatuor illa principia sive elementa, aëra, ignem, aquam, terram, e quibus oriantur et quorum viribus contineantur animantium formae earumque rerum, quae gignantur e terra[79]), postremum eas res singulares, quae magnam utilitatem hominibus afferant, eosque viros, qui magnis beneficiis erga illos excellant, et genios, qui singulos homines regant, quae omnia sine majoribus quibusdam viribus fieri non possint[80]), deos appellant et in deorum numero collocant[81]).

Itaque Stoici, quae de numine deorum vel de Jove eorum populares opinati vel poëtae imprimis Homerus et Hesiodus commenti sunt, ea praecipue auctore Cleanthe et Chrysippo non tam via ac ratione quam nimia quadam arte, ne dicam ad libidinem, quum alia tum imprimis nomina interpretati, ad sua placita de una universalique illa vi accomodant, iisdemque auctoribus eodemque modo[82]) de ceteris popularium diis disserunt[83]). Nam, ut e

76) Cic. de nat. Deor. II, 2, 5; Plut. de Comm. Not. 32, de Stoic. rep. 38, 1. — 77) Plut. de Stoic. rep. 34, 3 sqq. Comm. Not. 31, 5. — 78) Stob. Ecl. I, 25, p. 518 et 538. Cic. de Nat. Deor. I, 14 sq. II, 15 sqq. et 21. — 79) Cic. de Nat. D. I, 14, 36. Diog. Laert. VII, 147. — 80) Plut. de Isid. 66 et 25. Diog. Laert. VII, 151. Cic. de Nat. D. II, 23, 60 et 24, I, 15, 38 sqq. — 81) Plut. de Plac. Phil. I, 6, 18 sqq. — 82) Hoc ipse Creuzerus, profecto haud iniquus interpretationis St. judex, concedit. Nam literarum et antiquitatis peritissimus ille vir in actis theologicis, quae inscribuntur: Theol. Studien u. Kritiken, Jahrg. 1846, erstes H., judicio lato de libro, qui inscribitur: S. Annaeus Cornutus de Natura Deorum Rec. Osannus, de quadam vocabuli *Δάφνης* explicatione dicens, quae in illo S. Annaei Cornuti libro legitur: „Und so hätten wir denn", p. 429 inquit, „auch hier eine von den vielen ge-

multis pauca saltem proponam, numen deorum vel Jovem esse dicunt unam universalemque illam vim et hanc, id quod Diogenes Laertius[84]) tradit, *Δία* nomine appellari, quod per eum omnia sint (*δι' ὃν τὰ πάντα*), aut quod is per omnia permeet (*διιόντα πάντα*) †), et *Ζῆνα* (*παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστι*), quod *Ζεὺς* omnium vitae sit auctor, vel ††) quod is per omnem vitam fusus sit. Ceteros deos esse volunt particulares singularesque vires, in quas unam universalemque illam vim diremptam describunt, harumque alii, id quod in ejusdem Diogenis libris scriptum est[85]), nomen esse dicunt *Ἀθηνᾶν*, quum ea in aethere (*κατὰ τὴν εἰς αἰθέρα διάτασιν*), alii *Ἥραν*, quum ea in aëre (*κατὰ τὴν εἰς ἀέρα*), alii *Ἥφαιστον*, quum is [artificioso] in igne (*κατὰ τὴν εἰς τὸ [τεχνικὸν] πῦρ*)[86]), alii *Ποσειδῶνα*, quum is in humore (*διὰ τὴν εἰς τὸ ὑγρόν*)[87]), alii *Δήμητρα*, quum ea in terra (*κατὰ τὴν εἰς γῆν*) principatum obtineat, alii, id quod apud Stobaeum invenitur[88]), *Μοίρας*, quum eae sortes distribuant (*ἀπὸ τοῦ κατ' αὐτὰς διαμερισμοῦ*), alii, id quod apud Ann. Cornutum legimus, *Μούσας*, quum eae de rebus quaerant (*ἀπὸ τῆς μώσεως*)[89]).

Deinde Stoici decernunt, id quod jam supra diximus[90]), res orientes et intereuntes, quas mundus complectatur, ejusmodi causarum seriem efficere, ut causarum aliae ex aliis aptae et aliis aliae nexae res ex se gignant. Ita fieri, ut certis eventis certae causae antecedant, certaeque res certarum rerum, quae ex his eveniant, sive certarum rerum futurarum signa sint. Quanquam igitur Stoicis non placet Deum quibuslibet rebus mirandoque modo res futuras significare[91]): tamen iidem nec negant observatione notari posse, quae res quamque causam plerumque consequatur, quaeque res cujusque rei futurae signum esse soleat, nec excepto Panaetio[92]), praesertim quum haec non modo sit antiquissima sententia, sed etiam omnium populorum consensu comprobetur[93]), in dubium vocant, quin homines multas res futuras aut, si ii illarum rerum signa bene observarint et notarint, conjectura aut, si divino quodam spiritu tacti sint, divina quadam vi, quae toto confusa sit mundo, praesentire ac praedicere possint. Quae rerum futurarum praesensio ac praedictio Stoicis vel maxime confirmare videtur deorum providentia consuli rebus humanis[94]), quin etiam illi existimant, ut esse deos, si qui sint, qui divinent, ita si dii sint, eos hominibus futura declarare, atque esse homines, qui divinent[95]).

Cum illis autem, quae Stoici de rebus divinis, praecipue de natura sive de ratione mundi docent, consentiens vel Zeno, parens philosophiae St., vel Cleanthes, qui huic in

zwungenen Etymologien, wovon dieser Katechismus und die ganze theologische Physik der Stoiker voll ist." 83) Zelleri Lib. I. p. 113 sqq. — 84) III, 147. — †) Ex. Rossii conjectura, quae nescio an propter antecedentia verba: „*διῆκον διὰ πάντων*" vera existimanda sit. — ††) Nisi *ἢ διὰ τοῦ ζῆν κεχώρηκεν*, auctore Ambrosio ommittendum est. — 85) VII, 147. — 86) Uncis inclusum *τεχνικόν* vocabulis *εἰς τὸ πῦρ* a Diogene Laertio falso addi videtur Cf. Plut. de Isid. 66 et Ann. Cornut. de Nat. D. ed. Osann. XIX, 181. — 87) A quo vocabulo ea vis, quae in humido principatum obtineat, *Ποσειδῶν*, et a quo ea, quae in igne, *Ἥφαιστος* e Stoicorum quidem sententia nuncupatus sit. a Diogene non traditur, sed ex Ann. Cornuti horum nominum explicatione IV, 144 et XIX, 181 conjici potest, illud *ἀπὸ τῆς πόσεως*, hoc *ἀπὸ τοῦ ἧφθαι* nomen traxisse Stoicis videri. — 88) Eclog. I, 15, p. 180 ubi de singulis quoque Parcis eodem modo exponitur. — 89) Lib. I. XIV, 157 quo in libro Annaeus Cornutus haud dubie antiquiores Stoicos imprimis Chrysippi librum *περὶ θεῶν* secutus de omnium fere deorum Graecorum nominibus ratione Stoica disserit, plurimaque interpretandi rationis Stoicae exempla reperies. Cf. de toto hoc loco Zelleri Lib. I. III, pag. 107 sqq. — 90) p. 13. Cf. Cic. de Div. I, 55, 125 et 52, 118. — 91) Cic. de Div. I, 52, 118. — 92) Cic. Acad. II, 33, 107 de Div. I, 36. — 93) Cic. de Div. I, 6, 11, 52, 118, 55. 125 sqq. 57, 129. Plut. de Plac. Phil. V, 1. — 94) Cic. de Nat. D. II, 65, 162 sqq. — 95) Cic. de Div. I, 5, 9. 38, 82 de Nat. D. II, 5, 15. Cf. de toto hoc loco Zelleri Lib. I. III, p. 119 sqq.

scholae regimine successit, extremum (*τέλος*), i. e. id, quo omnia quae recte fiant, referantur, quod ipsum nusquam referatur[96]), esse dicit naturae congruenter vivere (*ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*). Quod ut apertius planiusque explicet, Chrysippus Cleanthis successor, dicit illud esse vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, vel ad universi humanamque naturam, quae naturae universi pars sit, vitam dirigere nihil eorum faciendo, quae prohibeat communis lex (*ὁ νόμος ὁ κοινός*), quae sit recta ratio per omnia pertinens (*ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος*), qualem vivendi rationem esse beati hominis virtutem[97]).

Qua in explicatione Chrysippus, quum ea indicet naturam sive rationem humanam universi naturae sive rationi obedire debere, a Cleanthe, etsi hic praecipit universi naturae, non addito „humanae“, congruenter vivere oportere, si respexerimus argumenta, quibus hujus praecepti veritatem Stoici demonstrare student, verbis tantum, non re dissentire nobis videbitur[98]).

Sed Stoici, quum distinctis rectis sive recte factis, quae *κατορθώματα* vocant, quaeque perfectis officiis (*τελείοις καθήκουσι*) consentanea esse et omnes numeros virtutis sive honestatis honestaque consilia continere dicunt, a mediis, i. e. ab iis, quae honestati usui esse posse et, si probabilis ratio reddi possit, cur ad honeste vivendum usui esse videantur, communibus vel mediis officiis (*μέσοις καθήκουσι*), quippe quae ea ipsa sint, quae cur facienda sint probabilis ratio reddi possit, convenire ac congruere statuunt, quum distinctis rectis, inquam, a mediis, praecipiant, ut non sola illa perfecta, sed etiam haec media officia expleantur, certe in communis vitae institutione suae quemque rationi volunt obtemperare[99]).

Ceterum quanquam virtutem in ratione ponunt et doceri posse dicunt scientiamque appellant, tamen, quum, philosophiam cum animante componentes, ossibus et nervis logicam, carnibus physicam, animae ethicam, et illam cum agro frugifero comparantes, circumjectae sepi logicam, humo vel arboribus physicam, fructibus ethicam assimulent, virtuti scientiam, actioni cogitationem servire debere statuunt[100]).

Denique, ut de rebus singularibus pauca addam, quae a proposito non aliena videntur, „Mundum“, ut ait Cicero[101]), „censent [Stoici] regi numine deorum eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unumquemque nostrum ejus mundi esse partem, ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus“. Itaque decernunt sapientis, i. e. ejus, qui eam virtutem, quam Stoici praecipiunt, colat, esse non modo civitatis legibus, quippe quae communis civium juris sint regulae, obedire, sed etiam cives et a vitiis revocare et ad virtutem excitare ac, nisi quid majus impediat, rempublicam, quae quidem civium legibus constituta sit, gerere et administrare, prorsus communi civium utilitati plus, quam suae consulere, quanquam non tam ipsis civium legibus, quam communi illi legi, quae sit recta ratio, per omnia pertinens, et civium legibus tantummodo, quatenus illa lege contineantur, ac certe in vitae communis institutione suae ipsius rationis placitis obtemperare debere sapientem volunt[102]).

96) Stob. Ecl. II, 7, p. 57. Cic. de Fin. II, 2, 5. III, 7, 26. — 97) Diog. Laert. VII, 87 sq. Stob. Ecl. II, 7, 132 sq. — 98) Zelleri Lib. l. III, p. 125 sq. imprimis not. 127. — 99) Stob. Ecl. II, 7, 192 158. Plut. de Stoic. Rep. 11, 1. 15, 10. Diog. Laert. VII, 109. Cic. Acad. I, 10, 38. de Fin. III, 7, 24. 17, 58. Offic. I, 3. 8. III, 3, 13. Cf. Zelleri Lib. l. III, p. 138 sq. 153 sqq. — 100) Diog. Laert. VII, 40. Sext. adv. Math. VII, 17 sq. Zelleri Lib. l. III, p. 16 sq. — 101) de Fin. III, 19, 64. — 102) Stob.

Si igitur illas religionis R. rationem colentium opiniones et philosophorum St. sententias inter se comparaverimus, haec videntur apparere:

Religionis R. rationem colentes opinabantur deos deorumque numen aeternitate et mentis praestantia quadam et rerum praepotentes esse hasque moderari et providentia sive sapientia et benignitate quadam gubernare, neque tamen suspicabantur quenquam deorum deorumque numen vera esse omnipotentia omninoque rerum modum ac fines transire. Philosophiam St. sequentes statuebant Deum esse rationalem quandam vim, illam autem vim esse sempiternam et praecipue intelligentia, benignitate felicitateque omnium rerum praestantissimam. Illa vi universam materiam in rerum singularium formam redigi, (singulares autem res deinceps in illam vim consumi et vicissim ex illa vi generari Stoicorum ii ipsi, qui potissimum Romanis philosophiam tradiderunt, quique in solvenda nostra quaestione omnium maxime audiendi videntur, vel negabant vel saltem addubitabant). Itaque illam vim esse principalem sive eam mundi partem, quae res, e quibus mundus constet, mundumque ipsum contineat et formet et providentia quadam regat atque administret. Attamen ipsam illam vim nec a materia materiaeque concretione esse sejunctam nec quidquam sine materia efficere itaque ab ejus terminis esse circumscriptam.

Illi deorum numen vel Jovem cogitabant commune quoddam et unum, cui omnia et ipsi dii pareant, deos autem animis fingebant multos, eosque singulos, etiam singulos deos minutos, quanquam hos diis selectis inferiores habebant, nominibus vel symbolis, quae vocantur, vel signis et ditione ac potestate et consiliis effectibusque a ceteris diis deorumque numine vel a Jove discretos et quodam modo separatos ac quasi suae potestatis.

Hi decernebant rationalem principalemque illam vim esse quodam modo universalem et unam atque ut universae materiae singularumque rerum, quae sint e materia, ita singularum virium, quae in materiam illasque res ex ipsa effundantur, potentem. Nihilo secius illam vim non tantum compluribus et quum pro diversitate materiae status, qui illa vi, tum maxime pro diversitate materiae, cujus status illa vi contineri iis videbatur, inter se diversis nominibus cognominibusque appellabant, sed etiam in complures et inter se diversas vires particulares singularesque diremptam, atque ex his viribus particulares singularium virium, viresque singulares singularium effectuum potentes, et unamquamque virium particularium singulariumque a ceteris viribus etiam a principali illa vi liberam ac solutam describebant eodemque loco habebant, quo suos deos eorum populares.

Illi opinabantur deos deorumque numen vel Jovem providentia quadam res ita gubernare, ut universae civitatis R., piae ipsorum cultricis, saluti consulant et adsint et, quae singulis bonis civibus Romanis, piis ipsorum cultoribus, prosint, ea curent et adjuvent, impios homines poenis afficiant, qua in rerum gubernatione universae civitatis saluti ea, quae singulis civibus prosint, postponant. Atque deos deorumque numen vel Jovem colentium esse, quae dii deorumque numen vel Jupiter fieri velle ac facere videantur, quantum suo statu possint, et ipsos proposita habere atque assequi studere et, qua ratione in hac re illi uti videantur, ea et ipsos uti. Hi, si illius decreti, quod Stoicorum ii ipsi, qui in solvenda nostra quaestione omnium maxime audiendi videntur, vel negaverunt vel addubitaverunt, quoniam id negaverunt vel addubitaverunt, respectus non habetur, docebant rationalem illam eandemque mundi principalem vim maxime curare et agere, quum ut mundus

Ecl. II, 17, p. 186 et 209 sq. Diog. Laert. VII. 121. Cic. de Fin. III. 20, 67. de Offic. I. 7, 22. Acad. II, 44, 136, Cf. Zelleri Lib. l. III, 171 sqq.

ad permanendum aptissimus sit omnique ex parte perfectus, tum ut rerum, e quibus mundus constet, aliae aliis, ut fruges et fructus animalibus, animalia bruta frugesque et fructus hominibus usui sint, idque ita fieri, ut res, e quibus mundus constet, ipsi mundo conservando et ornando inserviant. Ac jubebant homines, quae ratio humana, si ea rationalem illam eandemque mundi principalem vim sequatur, tum praecipiat, ut homines suo statu velint et faciant, ea velle et facere ad eumque modum, ad quem ratio humana tum praecipiat, ut homines ea velint et faciant, honestum igitur detracta omni utilitate expetere, quanquam, quae propter illud honestum satis aestimabilia videantur, ea et ipsa certe in communis vitae institutione expetenda existimabant.

Illi sibi persuasum habebant quarundam rerum sensibus subjectarum, si eae rite observatae sint, alteras, auguria puto ceteraque, quae ejusdem generis sunt, significare, utrum dii deorumque numen vel Jupiter, si quae proposita eorum cultores assequi studeant, ea assequi sinant nec ne, alteras imprimis miras, prodigia ceteraque ejus generis puto, portendere, num quid illi a cultoribus omissum vel factum velint. Hi excepto Panaetio dicebant quidquid fiat principali illa vi ita esse comparatum, ut alicujus rei futurae signum sit, quare multas res futuras ab hominibus aut conjectura aut divino quodam instinctu afflatuque praenosci posse.

Illi opinabantur deos deorumque numen vel Jovem venerari et colere, non nosse, omnino non in studiis, sed in rebus et usu versari esse summum atque ultimum. Hi statuunt non rerum scientiae, sed actionis causa esse philosophandum.

E comparatione, quam supra fecimus, philosophiae St. cum religione R., primum cognosci videtur, secundum illarum utramque haec fere esse statuenda:

1) Numen divinum rerum creator quidem sive is auctor non est, cui ad res efficiendas materia opus non sit, sed rerum formatrix tantum et rectrix quaedam vis atque quanquam rebus superius est, tamen non plane egreditur extra fines terminosque iis constitutos.

2) Formatrix et rectrix illa vis super res quum aliis tum praecipue sempiternitate et mentis animique praestantia excellit atque ut rerum ita virium, quae rebus insunt, est potens.

3) Ipsa quum viribus, quae rebus insunt, sive viribus particularibus singularibusque superior virium particularium singulariumque quaedam universitas vel unitas, tum multitudo inter se diversarum virium particularium singulariumque est, sive multae et inter se diversae vires particulares singularesque, quarum unaquaeque vis particularis viribus singularibus superior virium singularium, et unaquaeque vis singularis similis suorum effectuum quaedam universitas et unitas est atque ejusmodi, ut unaquaeque virium particularium singulariumque a ceteris etiam a superioribus viribus atque ab illa virium particularium singulariumque universitate vel unitate quodam modo soluta ac libera existat.

4) Quae illa vis petit et perficit, quaeque homines, quantum suo statu possunt, petere et perficere oportet, ea et ipsa quum particularibus singularibusque superiorem particularium singulariumque quandam universitatem vel unitatem efficiunt, tum multa et non modo inter se, sed etiam ab illa particularium singulariumque universitate vel unitate diversa atque quodam modo separata sunt, quanquam ratio, quam illa vis in petendo et perficiendo init hominesque suo statu inire oportet, talis est, ut illi particularium singulariumque universitati vel unitati haec multa et inter se diversa atque quodam modo separata particularia singulariaque subjiciantur.

5) Quum homines universalem illam viribus particularibus singularibusque superiorem

vim in petendis et perficiendis rebus et in ineunda ea ratione, quam illa in petendo et perficiendo init, tanquam ducem sequi debent, tum iis licet in petendis et perficiendis iis quidem rebus, quae ad illarum petendarum et perficiendarum rerum finem referantur quidem, sed ad ipsam ejus vim naturamque nihil pertineant, petere et perficere secundum suum cujusque arbitrium particulare vel singulare.

6) Quaedam res sensibus subjectae ideoque singulares, auguria ac prodigia ceteraque puto, quae sunt ejusdem generis, quum, quae sunt res singulares, eae sunt, tum universali eademque rerum formatrice et rectrice illa vi ita comparatae sunt, ut eorum, quae illa vis petitura et perfectura est, vel quae ab hominibus petita et perfecta vult ideoque magis minusve universalium vel particularium notionum signa sint.

Atque ex illis, quae et secundum religionem R. et secundum philosophiam St. statuenda videntur, priore loco in medium proposita omnium fere religionum et philosophiarum gentilium, quas vocant, communia, cetera maximam quidem partem religionis R. et philosophiae St. propria videntur.

Quibus positis et religio R. et philosophia St. rerum divinarum et ex his pendentium humanarum videtur contineri opinionibus, quae opiniones quum, quae communia multis et inter se diversis notionibus singularibus vel particularibus insunt, ea omissis reliquis comprehendente particularesque vel universales notiones concipiente tum, quae multa et inter se diversa notionibus universalibus vel particularibus insunt, ea exponente et tenente intelligentia sive quum abstrahente tum reflectente, vel ut accuratius dicam, in abstrahendo reflectente, quem vocant philosophi recentioris aetatis, intellectu formantur et reguntur[103]).

Deinde ex illa comparatione hoc apparere videtur, et religionem R. et philosophiam St. non tam ad cognoscendas atque contemplandas res divinas et ex his pendentes humanas, quam ad actionem rerum faciendaque opera, quae scilicet cognitis atque contemplatis illis rebus conveniant, spectare.

Et ex ea expositione, quam illi comparationi praemisimus, partim eorum, quae religionis R. rationem colentes de rebus divinis iisque, quae ex his pendent, et eorum, quae contra philosophi St. de iisdem rebus cognoverunt, partim eorum, quibus illi et quibus contra hi de illis rebus cognita confirmarunt, haec videntur intelligi:

Quae rerum divinarum et ex his pendentium humanarum cognitio religionis R. est propria, ea magis particularium vel singularium quam universalium ac magis casu quam sua vi et natura inter se junctarum notionum est quaedam summa et tradentium auctoritate nititur, quae illarum rerum cognitio philosophiae St. est propria, ea in utenda sua cujusque mente est posita, atque ita

103) Ita agere quum abstrahentem tum reflectentem illum intellectum in eo libro, qui inscribitur: „Grundlinien der Anthropologie“ his verbis docet C. Ph. Fischerus p. 225: „Der abstrahirende und reflectirende Verstand erfasst und sondert die Thatsachen der inneren und äusseren Erfahrung nach den Gesichtspunkten der abstrakten Identität und des abstrakten Widerspruchs, so dass er im Reflektiren auf die Einheit vom bestimmten Unterschied oder wesentlichen Gegensatz und im Erfassen des Gegensatzes von seiner Einheit abstrahirt.“ Atque intellectu, quem in abstrahendo reflectentem philosophi recentioris aetatis vocant, opiniones, quibus religio R. continetur, regi dicit Daubius in „Vorl. ü. d. philos. Anthropologie“ §. 86, I: „Das Religionsgefühl in der Bestimmtheit des Verstandes“, et eadem fere de Stoicorum sententiis Hegelius in Vorl. ü. d. Gesch. der Philos. 2. Theil S. 427.

utenda, ut mens via et ratione procedat, et e notionibus singularibus in notitionum particularium vel universalium formas redactis constat, quarum aliae ex aliis, allatis quorundam argumentorum adjumentis, ita aptae et nexae sunt, ut omnes inter se magis minusve cohaereant.

Ergo religio R. naturali, philosophia St. artificiosa quadam cognitione sive ut ajunt philosophi recentioris aetatis, haec mediate, illa immediate cognoscendi quadam ratione contineri videtur.

Datis et concessis iis, quae e comparatione, quam supra fecimus religionis R. cum philosophia St., et ex harum rerum expositione, quam illi comparationi praemisimus, effici videntur, religio R. et philosophia St. argumento inter se consentientes, differentes forma judicandae, religioque R. et philosophia St. duae ejusdem rerum divinarum et ex his pendentium humanarum cognitionis sive conscientiae, quam philosophi recentioris aetatis dicunt gentilis (des ethnischen Gottes- und Weltbewusstseins) species existimandae sunt, quarum utraque quum abstrahente tum reflectente, quam vocant illi philosophi, intellectu formetur et regatur ac non tam ad res cognoscendas, quam ad agendum spectet cum vitaeque ratione suae rerum cognitioni congruente sit conjuncta. Haec ratio, ut una comprehensione omnia complectar, mea quidem sententia philosophiae St. cum religione R. intercedit.

Talis si ratio existimanda est, quae philosophiae St. cum religione R. intercedit, primum facile intelligitur, qua re factum sit, et ut philosophia St. omnium philosophiarum longissime latissimeque inter Romanos diffusa fuerit ac per longissimum tempus fluxerit ac manaverit, et ut Romani, qui philosophiam St. sequebantur, ut M. Terentius Varro, ea, quae religionis R. rationem colentes de diis opinabantur, ad ea, quae Stoici de iis docent, accommodando religionis R. auctoritatem confirmare atque augere conati sint[104]. Ea enim re tum factum esse intelligitur, quod religio R. et philosophia St., si summa quidem rerum respiciatur, argumento inter se consentientes judicandae sunt. Quod quamvis affirmemus dicamusque illam esse causam, cur philosophia St. omnium philosophiarum longissime latissimeque inter Romanos diffusa fuerit per longissimumque tempus fluxerit, tamen non negamus, hoc eo adjutum esse, quod philosophorum Stoicorum et Academicorum ii ipsi, per quos philosophia St. maxime inter Romanos diffusa est, eam minus ratione et via, quam ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodate tradiderunt, itaque aut, ut Panaetius[105], de plerisque quidem decreta statuerunt, sed de nonnullis dubitaverunt, aut, ut Philo et Antiochus, de plerisque quidem dubitaverunt, sed de nonnullis decreta statuerunt[106], vel ut Posidonius, ex aliorum fontibus, quantum quoque modo iis videbatur, suo judicio arbitrioque hauserunt[107], et ethicam, quae minus in studio quam in rebus atque usu versantibus Romanis magis arridebat, quam physica et logica, physicae et logicae praetulerunt maximeque coluerunt[108].

Deinde ex illo, qui statuendus videtur, religionis R. et philosophiae St. consensu concludendum est, iis de religione R. sententiis, quae argumento cum Stoicorum decretis de rebus divinis consentiant, illo consensu multum fidei

104) Cic. de Nat. D. III, 16 sqq. August. de Civ. D. IV, 30; VI, 10 Cf. Krahneri L. l. p. 51 sq. — 105) Prelleri Lib. l. §. 429 sq. cum not. — 106) Ibid. §. 449 cum not. — 107) Ibid. §. 433, not. — 108) Ibid. §. 396, not.

addi. Hoc in eam sententiam cadere mihi videtur, quam Ambroschius de quaestione illa, quae ad altius perspiciendam religionis R. naturam gravissima est habenda, quaenam ratio diis minutis cum diis selectis intercedat, in medio posuit. Namque Ambroschius in egregio libro, qui inscribitur: „Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus“[109], numen divinum quandam complurium virium singularium universitatem secundum Romanorum propriam theologiam esse dicit atque his dictis addit: „Eines der interessantesten Beispiele der Art gewährt Varr. b. Augustin. d. Civ. D. VII, 23: ... „pontifices ... quatuor diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori. Alle diese Götter sind einerseits nur Qualitätsbestimmungen der Erde, andrerseits aber gelten sie selber jeder für sich auch als göttliches Wesen. Diese noch nicht gehörig erwogene Richtung der römischen Theologie liefert die Erklärung für viele sonst unerklärliche Erscheinungen des ältesten Cultus und Priesterthums. Mit wenigen Ausnahmen ... war jedes göttliche Wesen mindestens in einer männlichen und weiblichen Zweiheit gedacht ..., ausserdem aber auch in eine Reihe von Qualitätsbestimmungen zerfällt, welche im Cultus ebenfalls als besondere Numina berücksichtigt wurden .... Diese nomina und numina deorum waren verzeichnet in den Indigitamenten“[110].

Contra ea Merkelius contendere videtur, secundum illam theologiam singula numina majora non in compluria et inter se diversa numina minora dirempta esse, sed ex his illa composita. Nam „Altorem, Rusorem a Varrone nominatos ex indigitamentis“, inquit eruditissimus ille vir[111], „proferri intellexit Ambroschius, non tamen satis observasse videtur, ex illis indigitamentorum iterationibus nata demum numina majora et selecta non subesse iis“.

Ambroschius autem in eruditissimo et subtilissimo libello, post laudatum illum librum edito, qui inscribitur: „Ueber die Religionsbücher der Römer“ quum omnem suam sententiam accuratius exponit, tum imprimis numina majora, quae secundum illam theologiam in numina minora dirempta judicat, et numina minora probe definit, quum illa dicit esse ea, quae singula virium visorumque singularium universitatem quamdam contineant, quaeque a Varrone dii selecti appellentur, haec ea, quae singula singulas tantum conditiones vel actus humanos efficiant, quaeque dii minuti appellentur[112], atque etiam sententiam suam exemplis fide dignis comprobare conatur[113].

Atqui ut Ambroschius dicit secundum Romanorum propriam theologiam singula numina majora in compluria et inter se diversa numina minora esse dirempta, non ex his illa composita, sic Stoici decernunt numen divinum sive omnium rerum potentem vim universalem dirimi in complures vires particulares similique ratione singulas vires particulares in complures vires singulares, quarum unaquaeque non solum a ceteris viribus particularibus et singularibus, sed etiam ab illa vi universali libera ac soluta sit, quin etiam Stoicorum nonnulli res corporeas, quibus harum virium una alterave insit, non pro aeternis quidem, sed pro diis habent deosque appellant. Ergo sententia illa, quam Ambroschius de quaestione, quaenam ratio intercedat diis minutis cum diis selectis, in medio proposuit, praeterquam quod exemplis fide dignis comprobata mihi videtur, mea quidem sententia eo magis est sequenda, quod argumento cum iis Stoicorum decretis

109) p. 63. — 110) Ibid. not. 103, ubi plura de hac re dicta dictorumque testimonia reperiuntur. — 111) P. Ovidii Nasonis Fastorum libri sex editore et interprete R. Merkelio p. 239 et 191. — 112) p. 31. — 113) p. 35 sqq.

congruit, quae de hac re protulimus[114]). Sed tantum abest, ut negem a Romanis ullius numinis majoris cognitionem eo esse captam, quod ab iis numina minora cogitatione sint composita, ut ii non modo mente inter se connectendis numinibus minoribus, sed etiam mente inter se confundendis numinibus patriis cum exteris ad haud paucorum numinum majorum cognitionem, velut mente inter se connectendo agresti et pecuario et bellico quodam numine ad Martis, et mente confundendo patrio quodam numine cum extero ad Apollinis cognitionem adducti mihi videantur, idque factum esse putem, quia religionis R. rationem colentes in rerum divinarum cognitione non solum reflectente, sed etiam abstrahente, quem vocant philosophi recentioris aetatis, intellectu, si quidem est ita, ut supra dixi, regebantur. Hoc tantum affirmaverim, sicut apud Romanos numina majora prius in compluria numina minora cogitatione dirempta sint, quam e conjungendis compluribus numinibus minoribus numina majora cogitatione fingerentur, ita naturam ac vim ejus rerum divinarum cognitionis, qua religio R. continetur vel, ut hoc magis declarem aut saltem significem, illius in abstrahendo reflectentis intellectus, qui religionis rationem colentium opiniones de rebus divinis rexisse videtur, ita ferre, ut hac conjunctione illa diremptio sit potior.

Ei quoque sententiae, quam idem Ambroschius in libro laudato proponere videtur[115]), non barbarie quadam, sed longe alia atque ad intelligendum non tam aperta causa, illo intellectu in abstrahendo reflectente, ut mihi quidem videtur, quum hic intellectus mea quidem sententia ut religionis R. rationem sic philosophiam St. sequentium de rebus divinis opiniones rexerit, effectum esse, ut ab iis, qui illius religionis rationem sequebantur, numen divinum vel numina majora in compluria numina minora dirempta haberentur, ei igitur sententiae, quoniam illa sententia cum Stoicorum decreto numinis divini naturam ita ferre, ut illud in complures dirimatur vires, consentit, consensu cum hoc Stoicorum decreto aliquantum fidei existere dixerim. Quam ob rem, quae Pellegrino in libro, qui inscribitur: „Andeutungen über den ursprünglichen Religionsunterschied der röm. Patrizier u. Plebejer“ p. 19 de numinibus minoribus dicere videtur, e cognominibus numinis divini, quae talium rerum ignari numinum singularium nomina haberent, multa numina a Romanis esse ficta, eo minus probanda videntur, quod is locus, quem Pellegrino e Ciceronis libris de nat. deor. I, 30, 84 ad confirmandam sententiam affert, eam non confirmat, nam loco citato Cicero haec dicit: „nominum non magnus numerus est, ne in pontificiis quidem nostris, deorum autem innumerabilis“ non ea, quae Pellegrino illum locum citans Ciceronem dicentem facit: „in Pontificum libris Deorum non magnus numerus, nominum „magnus“.

---

114) Cfr. supra p. 14. Revera illam Ambroschii sententiam secuti sunt antiquitatis R. optime periti viri, ut Heffterus in L. c. p. 435 et Walzius in libro, qui inscribitur: Pauly's Realencyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft p. 431. — 115) Ueb. d. Religionsb. d. Röm. p. 10 sq. dicit Apologetarum, quos vocant, hoc tantum interfuisse, ut ipsius Ambroschii verbis utar, „die Zersplitterung des göttlichen Wesens in unendlich viele Momente, in seiner ganzen Trockenheit, Beschränktheit und Geistlosigkeit möglichst grell aufzuzeigen, ohne sich weiter auf die Erörterung der doch so nahe liegenden Frage einzulassen, ob eine solche tausendfältige Zersplitterung einer oder mehrerer göttlichen Naturen ihren Grund wirklich nur in einer ganz gemüthlosen Barbarei oder vielleicht in einem ganz anderen, nur nicht so klar am Tage liegenden Principe habe.“

